

1848
0.20

16.

D. D.

F E B R I S
U P S A L I E N S I S,

QUAM,
CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDIC.
IN ILLUSTR. ACADEMIA UPSALIENSI,

Sub PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI,
DN. DOCT. CAROLI
LINNÆI,

81
BS

EQUITIS DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:ITIS ARCHIATRI,
MED. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET ORD.
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCII,
PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA

PUBLICÆ EXAMINANDAM SISTIT,
ANDREAS BOSTRÖM,
Phil. MAG. & Mathes. LECTOR ad Gymnas. Scarenf.
IN AUDIT. CAROL. MAJ. D. XXI MAJI,
ANNI MDCCLVII.

57

H. A. & P. M. S.

UPSALIÆ, Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

6.

D. D.
F E R R I S
UPSALIENSIS

CONSENSUS EXPERIMENT. FACULT. MEDIC.
IN ILLUSTR. ACADEMIA UPSALIENSIS

Sub PRÆSIDIO

ANNI DOMINI MDCCLXXII ET EXPERIMENT. FACULT.
DR. DOCT. CAROLI
LINNÆI

EQUITIS DE STELLA POLARIS
SÆC. RÆ MÆTIS ARCHICAMERARI
MÆD. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET GRÆC.
Acad. Ups. Honoris. Petropol. Berol. Imperial.
Londin. Monspel. Tolos. Florent. SOCI.

PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA
PUBLICE EXAMINANDAM SUBIT.
ANDREAS BOSTRÖM.
Phil. Mæd. & Mathes. Lector ad Gymnas. Scaron.
IN AUDIT. CAROL. MAI. D. KON. MAJ.

ANNI MDCCLXXII
M. A. 4. P. M. 8.
UPSALIAE, Excub. I. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.



Q. B. U.




febris quæ hisce temporibus Upsaliæ adeo vulgaris & crebro nominata fuit, qua tot homines tamque communiter, intra aliquot annorum spatium laborarunt, ansam dedit primum Holmensibus, & dein toti fere nationi nostræ, eam *febrim Upsaliensem*, ut novum quendam morbum nuncupandi; utpote quæ Upsaliæ animadversa per totam mox patriam accuratius observari cœpit. Hæc febris duos ante annos, adeo erat communis, quamvis adhuc non multum defecerit, tantumque incutiebat terrorem, ut multi, metu hujus morbi, Filios suos ad hanc academiam mittere dubitaverint; quoniam vero aliis etjam locis æque sævire observatum est, hic metus subinde evanuit. Hic idem morbus Upsaliæ quidem non est novus, sed heic tantum temporis, quantum recordari possumus, grassatus fuit, licet non semper omnibus annis æqualiter sese habuerit; sæpe & quidem subdole, nunc unum nunc alterum optimorum interdum civium invadens, necavit: quibusdam annis typum suum mutavit, interdum admodum fuit malignus cumque petechiis, quo in casu contagiosus,

giolus, indeque nomine *febris petechizantis* insignitus fuit, interdum stomachum maxime affecit, & dictus fuit *febris mesenterica* sive *catarrhalis*; a nonnullis autem *febris nervosa*, quoniam interdum cum deliriis & spasms aggressus fuit; interdum etiam, potissimum tamen tempore verno in febrem intermittentem declinavit; quapropter nomen *quotidianæ* seu *tertianæ continuæ* ei imposuerunt, verbo, medicinæ non adeo periti falsum sibi de eo formarunt conceptum. Interea ut nuper monitum, hic morbus non est novus, aut Upsaliæ tantum endemius, sed ubique fere communis; vagatur enim per totam Europam, saltem, qua vergit ad meridiem, inque Italia *) inter Romam & Neapolim adeo vulgaris, ut populares nostri ibi iter facere timeant. Qui Indias visitarunt, morbum admodum malignum, quo præcipue multi Europæorum nostrorum illuc advectorum, si minus cauti sunt, moriuntur, ibi animadverterunt, qui quidem a variis est descriptus, sed sæpius adeo obscure, ut maximus sit labor, eum e libris auctorum eruere; quippe cum nullam inter symptomata accidentalialia & signa essentialialia distinctionem fecerint.

Ipsè hoc morbo heic Upsaliæ anno 1754 æger, nimium care propiorem illius emi cognitionem, quam breviter adumbrare utile judicavi, ut alii distinctam ejus ideam etiam obtineant, Lectorem benignum simul precatus, ut liceat prætermittere ea, quæ alii de eo traderunt, cogente partim temporis angustia, partim ut per propriam experientiam res clarior evadat; propterea enim quod alii auctores ducibus cæcis usi sint, viam sæpissime arduam & asperam calcarunt.

NO-

*) *Febris semitertiana exquisita familiaris est popularibus almæ bujus (Romæ) urbis & fere perpetuo hic grassatur, quod etiam cognovit Galenus Romæ olim degens. Bagl. prax. p. 57.*



N O M E N.

Hæc febris a Græcis *Hemitritæus*, a Romanis vero *Semitertiana* nuncupata fuit, quæ nomina in libris medicorum adeo familiaria sunt, ut ne tironem, qui rudimenta medicinæ tantum didicit, lateant: Neoterici etiam eum in omnibus suis systematibus nominarunt, inque numerum febrium malignarum retulerunt, nec non multas præterea febres, quæ certis annis in variis provinciis, cum nonnihil discrepantibus symptomatibus oriuntur, descripserunt, at tamen hæc eandem febrem innuisse videntur.

G E N U S.

Medici febres hoc tempore in tres præcipue classes dispescunt, in *Criticas*, *Phlogisticas* & *Exanthematicas*, in quibus *Hemitritæus* noster criticis adscribitur: febres *Criticæ* autem in *continuas*, *intermittentes* & *exacerbantes* dividuntur. *Exacerbantes* eæ febres criticæ vocantur, quæ ex febre continua cum intermittente conflatae sunt, aut quæ continue affligunt, ita ut ingravescant novosque insultus hora & die determinata faciant, aut etiam quæ, novus antequam insultus adest, ita plane remittunt, ut febrem vix sentiat æger; quam ob causam alii auctores eas intermittentes dixerunt. Probe novi, maximam partem febrium continuarum ejus esse indolis, quod noctem versus exacerbentur: ægrotationis vero decursus nulla remissione manifesta interrumpitur, antequam novus insurgit insultus.

Medici eam *Amphimerinam* nominarunt, cujus paroxysmi qualibet die redeunt: *Tritæum* cujus paroxysmi alternis diebus recurrunt, & *Tetartophyam*, cujus accessus quarta quavis luce repetunt; nonnulli his *Hemitritæum* adjunxerunt, sicut singulare quoddam genus, quoniam alternis diebus gravius intenditur. Hac de re nul-

lam controversiam formare volo: contendo tamen genera præter necessitatem non debere multiplicari; Tertianæ duplex aut triplex novum non constituit genus, sed tantummodo speciem. Itaque hæc febris fit species Amphimerinæ, potissimum cum ratione indolis, proprietatum & curæ reliquis speciebus Amphimerinæ conveniat.

S P E C I E S.

Hic morbus præsertim ratione typi ab omnibus aliis ita differt, ut ejus diagnosi sit facillima, indole perspecta, hac vero ignorata, evadat difficillima; quoniam typum non servare videtur, cum tamen sit maxime regularis. Typus hic est, quod quovis die plerumque *post meridiem hora tertia aut quarta* exacerbetur, & repente invadat cum inquietudine, pulsu vehementi aliisque symptomatibus febrem comitantibus, absque frigore, nisi levissimo digitorum & nasi interdum, deinde vero post trium aut quatuor horarum spatium fere evanescit, ut febris vix sit manifesta *) quamvis æger langveat, sed versus *mediam noctem* lente & inopinato intendatur, & post eam in summam vehementiam excreseat, tandem circa *tempus matutinum* cum odore remittens ægrum admodum debilitatum relinquat: hoc in casu speciem febris continuæ cum quotidiana duplicata, aut Amphimerinæ duplicis præbet. Sed alio etiam signo essentiali notabilis est, nimirum quod ante meridiem *alternis diebus*, paroxysmo, qui nocte regnavit, fere extincto & opinante ægro, tempus cibo se reficiendi, aut morbo remediis obviam eundi, sibi concessum esse, sæpe circa *horam decimam a. m.*, horror ut in Quotidia-

*) DODONÆUS inquit: *Typus Semitertiana ita se habet: Singulis diebus accessiones invadunt, sed uno die febris magis invalescit, reduplicato etiam horrore, altero vero mitior est. Morbus longus est & periculosus. Ventriculus præcipue laborat.*

tidiana vel Tertia benigna existit, aut saltem quod apex nasi & extrema digitorum frigus sentiant, ægerque anxietate, quæ plerumque ad paroxysmum vespertinum durat, afficiatur. Ita *alterni dies* ægro reliquis longe sunt graviores. Ex hisce satis apparet, hanc speciem inde facillime, dignosci quod febris quolibet *ἡμέρας* duos habeat insultus; unum nempe vespere subito invadentem, alterum vero subdole prorepentem, sed noctem versus vehementiorem, & quod alternis diebus ante meridiem frigus oriatur, in signum morbi tum gravioris. Ita spero diagnosis hujus febris adeo claram evasisse, ut neminem fugiat.

CAUSA.

Causam & hujus febris & omnium febrium criticarum, nec non intermittentium vulgatissimarum investigare, satis est arduum, ut semper fuit; sedes enim mali ex sectionibus cadaverum adeo non detegitur, ut vel hinc pateat, in minimis eam hæere fluidis, & non sine ratione contendere videar, eam quod ad maximam partem a transpiratione læsa pendere. Per hæc dubia viam quoad potero mihi quæram, reliquam mihiq; nimis arduam, aliis in investigando felicioribus relicturus.

Corpus humanum continuo vaporem transpirat, qui quamdiu æqualiter exhalat, cæteris paribus recte valemus: corpus etiam aërem attrahere tam ex propria sensatione constat, quam exemplo pueri, quem valde fatigatum & accurate tunc ponderatum Keillius *) nocte in

*) Keillius aphor. 45. Per omnes corporis poros continuus facilisque aëri patet ingressus & egressus.

46. Quæ in aëre sub vaporis specie circumvolitant aqueæ particule, a cute nostra attractæ, cum sanguine miscentur & corpus pondere augent.

48. Plus attrahimus tempore nebuloso quam sicco, nocte quam interdii.

cella inclusit humida, qui mane emissus iterumque ponderatus gravior fuit, quam vespere cum includeretur; quod omnino evincit, corpus humiditatem attraxisse. In nobismetipsis, potissimum si esurientibus, & minus bene vestibus munitis, nec non labore fatigatis, in aëre humido versari contigerit, ingratam experimur sensationem, quasi aër hic poros ipsos penetraret, toto horrente corpore. Cum studiosi juvenes Upsalenses, ridentibus diebus vernis, præmature vestimenta deponunt hiberna & æstiva induunt, nec non hoc tempore, quo frigus in terra resolvitur, & vaporem emittit insensibilem, in campos Polonos adjacentes pila lusum, ut est consuetudo, exeunt, indeque fervidi & sitientes proximum diversorium petunt, caloris lacte coagulato sedandi causa; sæpissime accidit, quod aliquis eorum in febrem intermittentem incidat. Hic morbus qui vere appropinquante, hoc est, tempore, quo Eperlanus in aqua ludit, aut frigus e terra ascendit, endemius heic vexat, eos præcipue aggreditur, qui aëri jam insalubri sese exponunt, & vacuo stomacho vestibus non recte muniti, exeunt, unde consuetudo vulgi, raro mane jejuno stomacho prodeuntis, hac quasi prætenta cautione, ne cuculus fallat, optima est, repleto enim stomacho corpus est magis perspirabile, sed cibo digesto transpiratio sensim deficit & corpus propter poros apertos, bibulum evadit aëremque attrahit. In Suecia nostra ubi usu receptum est, ut calor ignis includatur, quo, tempore ipso brumali in ædibus calore æstivo fruamur, morbo in regionibus australibus parum noto, quem Svetice Drag nominamus, afficimur, qui inde ortum ducit, quod aura frigida in partem quandam corporis nostri calore artificiali humentis, cujus pori tum sunt aperti, per rimam fenestræ aut parietis, agat, quæ tum rigescit, adeo ut maximus ex actione muscoli subjacentis oriatur dolor, eo quod pingvedo tunicæ cellulosæ riguerit: quan-

do hic morbus majori gradu nos corripit, febrem vix sensibilem vespere exacerbantem affert. E loco calido in aërem frigidum & humidum delatis coryza statim est obvia; quoniam moles aëris ad respirationem per sinum frontis & omnes ejus anfractus descendentes, tunicam Schneiderianam subito refrigerat; quo in casu multa copia humoris & tandem mucii fecernitur. Si pedes tempestate frigida humescant & trigus sorbeant, coryza etiam sese insinuat. Hisce jam allatis satis patet, corpus humiditatem aëris attrahere: omnis vero aër humidus non est æque noxius; stagnans & corruptus est nocentissimus, aër enim ut aqua motu purgatur. Aër in cellulis antiquis oclusis, sepulchris, loculis mortuorum, puteis profundis &c. sine motu detentus, adeo est venenatus, ut naso illuc admoto repente moriamur: tempore vernali templa magna lapidibus exstructa humiditatem exhalant; qui jejuno stomacho ea tunc frequentant, febrim intermittente sæpissime corripuntur, præcipue si sint fornicata, quoniam aër sub laqueari minus mutatur indeque corrumpitur. Frigidarii Horti Academici, ubi prælectiones Botanicae tempore verno habentur, paries borealis nulla ante aliquot annos fenestra erat instructus, unde aër eam partem versus satis nimium quantum præclusus tenebatur: tum sæpissime non sine admiratione audiebam, quam sedulo Nob. Dom. Præses pallentes & qui tertiana laboraverant, monebat, ne eidem parieti assiderent, persenti quoque postridie plerumque Tertiana, tanquam poena, correptos eos fuisse, qui salutare illud monitum insuper habuerant; nunc posita ibi fenestra minus est periculi. Hæc omnia clare evincunt febres intermittentes generari, corpore vacuo multitudinem humidi & corrupti aëris attrahente. Ut cognatio qua febres intermittentes & exacerbantes junguntur, pateat, ad experientiam quotidianam recurrendum; qui enim vere Hemitritæo implican-

tur,

tur, æstatem versus in quotidianam sæpe incidunt; quare ægri contendunt, medicum febrem ardentem in intermittentem mutasse, unde non sine ratione concluditur, has duas febres ex uno fonte originem ducere. Quod aërem inficit, e terra plerumque ascendit: sed longe in indagandis qualitatibus exhalationum adeo invisibilium progredi, non est virium mearum; videmus tamen eos, qui loca incolunt palustria, unde multi vapores insalubres exhalantur, febribus intermittentibus & exacerbantibus magis esse expositos; ideoque Tertiana eos magis infestat, qui in inferiori aëdium parte habitant: si locus præterea sit cœnosus, & aër putredine corruptus, hi morbi plerumque ingravescent & diutius inhærent; quam ob causam in urbibus majoribus, opulentiores partem inferiorem aëdium raro occupant; constat etiam eos, qui in urbibus magnis juxta litus quoddam fœtidum, aut juxta mœnia, ubi sordes ejiciuntur, habitant febribus criticis plerumque esse obnoxios. Quod ad me, eam foveo sententiam, febres exacerbantes, vel saltem Hemitritæum nostrum, sicut febres intermittentes inde oriri, quod corpus aërem humidum & cœnosum attrahat, sed in natura explicanda impuritatam, quæ in exacerbantibus præ intermittentibus agunt, alia dicere non habeo, quam quod, uno die plus nebulæ densæ & fœtidæ, alio autem minus e terra ascendere, & hanc febrem maxime autumno, hieme & vere, sed æstate minus grassari, videam; illasque hyemes, quæ frigus non adeo intensum producant, sed loco ejus multum nebulæ, maxime Hemitritæum generare, evineatur experientia anni 1754, cum heic tot homines huic morbo præter consuetudinem, impliciti fuerunt, illi potissimum, qui aëri tum se exponebant, qui in locis humidis & frigidis, præsertim in inferiori aëdium parte versabantur, qui in cameris supra cellas, ubi calcei sæpe noctibus mucorem contrahunt, aut prope
 senti-

sentinas aut fimeta & alia ejusmodi habitabant; cum e contrario qui calorem servabant æquabilem, qui in cameris ficcis, locis editioribus minus aëri obviis, habitabant, liberi evaserunt. Aërem impurum multum ad febres malignas conferre, vel ex hoc uno patebit, quod ni fallor, de Stutgardia, me legisse memini, quæ urbs olim diu adeo fuit insalubris, ut omnes illuc proficisci metuerent; quandoquidem nemo fere ibi advectus febres exacerbantes & malignas evitare potuisset, & hoc interdum magno cum vitæ discrimine, donec stagnum in urbe situm eductum fuit, & in hortum mutatum, ex quo tempore iste locus æque fuit sanus atque ullus alius, in documentum certissimum hujus causæ. Simile etiam habetur de Tholosa urbe Galliæ Narbonensis juxta mare mediterraneum, quæ sæpe morbis malignis vexabatur; sed tandem dilatatis urbis plateis & compitis, purgatis quotannis stercoribus, liberioreque aëre captato, libero aëri transitu concessio, a contagio libera evasit urbs; exemplo quo discant urbium præfecti vigiles esse in repurgandis vicorum sordibus.

Talis sentina malorum heic Upsaliæ nobis est, sordium plenissima dicta Kamhaf, notabili satis profunditate, ubi aqua ab antiquissimis retro temporibus stagnavit, unde est fœtidissima & inficiens, ut prætermittam fossam *Stadsdiket* nominatam, in altera parte urbis, sordibus etjam abundantem, ut, me judice, si urbs Upsaliensis mundabitur, politiæ præfectis necessario incumbat has sentinas abducendas curare, unde sine dubio vitæ plurimorum consuleretur.

PROGNOSIS.

Quibusdam annis hic morbus apparet contagiosus; esse autem revera non ausim asseverare, nisi petechizet;

morbi enim endemii a communi causa originem ducunt, unde fit, ut omnes fere in una eademque domo afficiantur, quasi contagio acti, quod vero non ita se habet; sæpissime enim unus tantum in domo corripitur, reliquis tamen, qui curam sui egerunt, sanis, quamvis quotidie ægro adfuerint.

Alii auctores hanc febrem valde acutam tradunt; apud nos vero tarde adolescit & declinat, ut aliquando unum, duos, immo tres menses dimetiri possit, sæpeque instar febris intermittens post intervalla redeat.

Non obstante, quod hic morbus, indole ejus jam penitus perspecta, omnino medicamentis cedat; vitam tamen ægri in tuto futuram haud dixerim, si simul petechiis, aphtis aut deliriis infestetur; qui sub paroxysmo convulsionibus agitantur, plerumque decedunt. Plerique, quos hic morbus invadit, aliquot dies, quasi coryzam cum pressione supra sinum frontis, sentiunt; alii rigiditatem versus cervicem, quæ quo major, eo est morbus mihi diuturnior visus; cumque maxima sit, convulsionem plerumque vel saltem signa malignitatis a systemate nervoso, ut pervigiliæ, inquietudo, deliria, defectus virium ægrum affligunt.

C U R A.

Variis remediis in hac febre depellenda tentatis, eo tandem perventum, ut curatu non sit difficilior, quam alia quædam, nisi signa malignitatis, ut petechiæ, convulsionem, aphtæ adsint, qui curandi modus sequentibus absolvitur: I:º) *Vomitorium* secundum methodum D. D. Arch. Rosen ita præparatur.

Re. Aquæ font. unc. I. semiss.

Pulver Ipecacuanh. gr. VI.

Tartar. Tartarisat. gr. IV.

Oxymel simpl. drachm. I semiss. Misce

Unde

Unde cochleare sumatur quarta quavis horæ parte, donec effectus sequatur. Hoc vomitorium est inter mitissima, quum in excessu tam caute propinatum, non agat; quia, cum æger quantum sat est assumit, effectus sequitur.

Hoc altera & quarta die iterum propinetur, tempore, quo æger lenissime affligitur; sine vomitorio prægresso, feбри vix medemur, & si pertinax sit, reliqua remedia nihil sine vomitoriis alternis diebus propinandis, profunt. 2.) *Cortex Chinchine* secundum in hac parte constituit essentialia; raro autem in substantia heic effectum præstat; sed sequens in infuso, ut vinum Chinatum a Nob. D. Præsidi cum fructu usurpatum fuit.

Rc. Cort. Chinæ unc. I.

Vini rubr. unc. V. digere per quatuor horas, coque residuum in aqua font. q. s. hujus colaturæ unc. VIII. adde priori & Syrup. aurantior. unc. III. M.

Hujus vini cochleare, alternis horis, tempore remissionis propinetur, donec lingua munda evadat, sive donec morbus remittat.

3.) *Paregorica* noctem versus adhibenda, & cum insultus gravissime ægrum afficit, quem in finem

Rc. Laudan. Liquid. gtt. XII. pro dosi.

Digestiva adhibentur, feбри maximam quod ad partem, usu reliquorum medicamentorum debilitata, cui usui inservire potest sequens:

Rc. Arcan. Duplicat.

Tartar. Vitriolat. ana drach. II.

Antimon. Diaphoret. scrup. II.

Nitri depurat. drach. I.

M. F. pulvis. Dosis scrup. II. tertia quavis hora,

Hisce,

Hiscæ, etjam pedibus, qui sæpissime post febrem tumore quodam Oedematoso afficiuntur, succurritur.

DIÆTA.

Æger acidis, quia eum refrigerant & effectum Chinæ tollunt, abstineat, ut & pingvibus v. g. lardo; quia transpirationem supprimunt & fibras relaxant. Corpus pannis siccis defricandum, & si Scabies prorumpat, minime est retropellenda.

Venæ Sectionem nullum effectum salutarem, sed potius noxium, in hoc morbo, ut in intermittentibus, præstare vidi.

TANTUM.

